



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

ACTVARIVS PECCANS
IN
F O R M A N D
ET CONSCRIBEND
ACTIS IVDICIALIBVS
QVOAD CAVSSAS CIVIL

AUTHORITATE
ORDINIS ICTORVM
PRAESES

GVSTAVVS HENR. MYI
CVR. PROV. SVP. ET EIVSDEM ORD
ASSESSOR

ET

R E S P O N D E N S

CAROLVS GODOFR. MVI
ZOEBLIZIO - MISNICVS

DISPVTABVNT

D. XXV. FEBRVAR. MDCCXL

H. L. Q. C.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIAN



ILLVSTRISSIMO DOMINO
D O M I N O
FRIDERICO CAROLO

S. R. I. COMITI
DE WATZDORFF,

DYNASTAE IN LICTEWALDE, AVERSWALDE,
P F O E R D E N,
C E T E R A

POTENT. REG. POLON. ET ELECT. SAXON.
SEREN. A CONSILIIIS INTIMIS

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

H A E C
PRIMA STUDIORVM SPECIMINA
OFFERT, CONSECRAT, DEDICAT
SIMVL PRO EIVS SALVTE PERPETVA
SVSPIRIA DEVOTA SVSCIPIT;
AC
ISTIVS GRATIAE HVMILLIME SE SVBMITTIT
COMMENDAT

CLIENS DEVOTISSIMVS

CAROLVS GOTTFRIDVS MVLLERVS
ZOEBLITIO - MISNICVS.



§. I.



um Acta Iudicialia nullam omnino inter litigantes faciant fidem, quae ab actuario non sunt conscripta, sedulo caueant hi, qui iurisdictione vel patrimoniali, vel administratoria gaudent, ne ipsi temere quid Actis adscribant, nec ab aliis, quam qui peculiari iureiurando adstricti sunt, gesta calamo excipiantur. Notarii quidem Iudicii, Registratores, quos vocant, et scribae ad acta iurati quaedam annotare possunt circa positiones, relationes, documenta et attestata, aut alia minimi praeiudicii, qui Vero his amanuensibus et librariis omne directorium, et curam Actorum relinquunt Actuarii, in eo sane peccant aliquo

modo, plus vero, qui famulorum et puerorum ministerio vtuntur in describendis et consignandis actis, licet, quod vulgo fieri solet, excusationis loco allegari soleat subscriptio Actuarii quae subsequitur, et omnia corroborare creditur, vel etiam quod nudae copiae transumantur. Quis enim certus esse poterit in nulla parte erratum fuisse, cum primis omissa comparatione, plurimis odiosa nimis. Conf. Dn. LEYSERVS *Medit. ad Pand. Specim. LXXI. n. I. sqq.* B. ZIEGLER ad *Ord. Proc. Sax. Tit. II. p. 20.* Peccat igitur Actuarius, qui non propria manu acta regulariter scribit, cum personae specialis industria et fides electa sit. *Ord. Proc. Sax. Tit. II. §. 2.* verb. durch ihn. *Resolut. Grauan. de anno 1653. Tit. von Iustitien-Sachen §. 42.*

§. II.

Neque vero minus peccant Actuarii qui positionum Schedulas, quas Patroni causarum in scriptis, lege quidem repugnante, offerunt, actis inserunt, atque hoc ipso priuatam scripturam transformant in publicam, parum solliciti, quodnam ex hoc opere adoptiuo nasci queat incommodum aequae ac dissidium, si quaedam deleta, expuncta, mutata, aut inserta diuerso tempore appareant, nec ad fidem iudicalem eiusque praesumptionem prouocari possit.

§. III.

Quoad formam actorum iudicialium externam non omittenda est inscriptio, siue titulus, qui continere debet *a*) nomina eorum, qui litigant, *b*) designationem causæ et anni, et *c*) indicem rescriptorum ac sententiarum, quae in vnoquoque Volumine continentur, et cum plurima enata fuerunt, signis ea distingui vel numeris oportet. Acta ipsa autem conuenienter cohaerere, quae geruntur, competenti ordine iuxta seriem temporis conscripta, omnia memorialia et alia scripta, cum mandatis procuratorum, facto praesentato, filo compacta et constricta esse debent, ne acta manca ac mutila, aut saltem ob turbatum ordinem temporis suspecta appareant. Maxime vero habenda est negotiorum a prioritate temporis dependentium et fatalium ratio, vbi saepius horam illiusque quadrantem actis consignari expedit; in quibus omnibus qui negligens est Actuarius a regulis boni ordinis aberrat.

§. IV.

Haud leue nonnunquam legenti affert incommodum pars actorum, quae in spissum Volumen excreuit, et mole sua laborat. Praestat igitur, si Schedae sese agglomerant, in duo vel
plura

plura Volumina eas redigere, imo quod in superioribus Iudiciis fieri solet, et articuli probationis et reprobationis, cum omnibus iis, quae ad vnamquamque pertinent, separatim in Voluminibus quibusdam exhibeantur, attestata quoque testium, in quibus euoluendis, extrahendis, allegandisque opera et labor merito adiuuari debet; Etiam in quibusdam caussis necessaria est haec separatio Actorum. Peccaret enim Actuarius, qui in causa reconventionis cum conuentione simul in Iudicium deducta, in Concurso vtriusque Coniugis, aut in Processu Prouocatorio, in Appellationis instantia etc. in vnum Volumen omnia coarctare velit.

§. V.

Monitum de scriptura legibili in actis inquisitionis, quod continet thesis I. Dissert. *de Actuario peccante circa Inquisitionem generalem*, etiam ad caussas ciuiles pertinet, in Lege quoque publica fundatum. Ita enim D. Ioh. Georg. II. Elector edicto sub d. 7. Iulii 1663. sanxit: Sie wollen dasjenige was in Gerichten zu denen Acten zu bringen und zu registriren, sauber und leserlich schreiben lassen, damit der Sachen rechte Beschaffenheit leicht und eigentlich vernommen, und im referiren und concipiren ungehindert verfahren werden könne, quod exhibet Dn. LVNIG
in

in Cod. Aug. Tom. I. 1143. Grauitur hoc vitium circa ductum literarum commissum caussidicis et actuariis exprobrat MAGONIVS in *Cynofura Advocatorum*. En verba: „male sic scribentes re-
 „probare ac repulsare debemus, quoniam vtique
 „aliquando litigandi praebeant caussam, dum ob
 „malam scripturae intelligentiam tempus ad a-
 „ctum ipsum apud acta deferendum labatur, ita
 „vt sit necesse parti vel Caussidico demonstrare,
 „culpa scripturae minime intelligibilis id prouenisse etc., v. *Cap. LVII. n. 19.*

§. VI.

Huic monito aliud iungendum, quod itidem non propriis, sed ob certas rationes, eiusdem MAGONII verbis adscribendum esse duximus:
 „Nec omittendos duxi quosdam Scriptores, qui
 „ob immoderati lucri cupiditatem, spretis ordi-
 „nibus, circa numerum linearum atque dictio-
 „num in qualibet linea apponendarum lineas
 „quatuor dictionesque duas pro singula linea im-
 „pingere sufferrent in partium euidentis damnum
 „qui pariter etiam in foro Conscientiae ad re-
 „cepti indebite restitutionem obligantur., v. d. *Cap. LVII. n. 17.* iung. verba der Tax-Ordnung Tit. I. n. 49. und die Worte zur Ungebühr nicht ausgedehnet seyn. Dulce tamen lucellum in fo-
 B liis

lius dimidiatis adhuc a quibusdam quaeritur. Maxime autem in multiplicatis registraturis auiditas lucrandi dignoscitur, quae longa quoque verborum farragine protrahuntur saepius ad hoc, ut scriptori maiorem lucrandi praebeant causam. Conf. IOH. PETRVS ALA in *Aduocato Caussidico Christiano quaest. 45.* Idem dicendum de copiis documentorum duplicatis, quae iam extant in Actis.

§. VII.

Tabulas vero instrumentorum authenticas, quas actor libello vel probationi iungit, incautus Actuarius filo ligat, et in dorso documentorum nonnunquam scribit. Si quando enim vel actor producens vel reus debitor soluens autographum exigit, acta truncanda, scripta iudicialia delenda, et series foliorum mutanda est, cuius deformitatis ratio non ubique deprehenditur, cum quaestio de fide actorum incidit, et sententia ferenda est.

§. VIII.

Actuarius acta publica ipsi concredita ad aedes priuatas aduocatorum, procuratorum, aut litigatorum, ne communicet, sunt enim monumenta publica, quorum custodiam non priuatam

tam sed publicam deposcit iudicis auctoritas, et causae iudicialis momentum haud minimum, et graue damnum, quod actores plerumque sentiunt, si acta deficiunt in loco, ad expedienda negotia iudicialia destinato, eoque publico, experientia teste. Accedit laudati Legislatoris Saxonici etiam inferioribus Iudicibus eodem anno 1663. facta prohibitio, daß geübte Schreiber zuhalten, und die Acta in Priuat-Häuser nicht abzufolgen, ubi tamen casus necessitatis, morbi etc. excipitur.

§. IX.

Peccat Actuarius in Curiis superioribus, qui acta cum remissorialibus, clausa licet et sigillo munita illi, qui prouocauit, eiusque aduocato aut mandatario, reo cum primis, exhibet, vt iudici a quo tradantur, saepius ob nummorum commodum, quos soluit, maxime cum nomen eius, qui Volumen accepit, haud annotatur. Inueniuntur procuratores forenses, qui coeco amore erga mandantem reum eiusque praemia abrepti commoda ipsius quouis modo, etiam minus honesto, promouere, et cursum Iustitiae sistere tentant, acta iudicialia occultando, dissimulando, supprimendo; adeo sub veste serica nonnunquam latet nequitia.

§. X.

Actuarius, vt acta caussam controuersam illustrantia actis principalibus iungantur, curare debet, cum alias sumtus sententiae interlocutoriae, quae superuacanea est, ex propriis ferre debeat, idem dicendum de documentis originalibus, quae custodit. Dn. BOEHMER *Consult. Tom. II. P. II. Decis. 1256. n. 4.*

§. XI.

Actuarii, qui dimissi iudicialia instrumenta et acta publica praetextu Salarium promissi, vel expensarum retinent, peccant, quicquid CARPZOVIVS et cum eo turba Doctorum in contrarium disputent. Triuiale argumentum est, quod ille profert de iure retentionis, quod Sartoribus et Sutoribus pro mercede competit, in *Definitione 23. ad Const. Elect. XXV. Part. II.* nec sibi ipsi constare videtur CARPZOVIVS qui *ead. def. n. 5.* concedit, in actis publicis hoc fallere; ergo in rubro huius definitionis acta manualia forte intelligit, quae sane absque damno grauiori alterius retineri possunt. Sane illa Limitatio rubri: *nisi intersit reipublicae acta exhiberi*, et ius retentionis alteri non noceri debere, superuacanea, cum in hac detentione
et

et custodia priuata, cum vinculo iniqui saepius coniuncta vix ac ne vix quidem laesio abesse queat. Conf. Responsum Scab. Lips. apud Dn. RIVIN. *Enunc. XIV. Tit. II. Ord. Proc. Sax. iung. ANT. FAB. in Cod. Lib. III. Tit. II. def. 2.* qui Actuario, non autem Iudici ius retentionis tribuit, quia huic non sicut illi acta quasi in pignus dantur.

§. XII.

Quotiescunque acta publica in Iudicio desiderantur, nec vestigium certum, vbi illa latent, apparet, manifestatione iurata opus est. Certant tamen nonnunquam aduocati et procuratores cum Actuariis, de ordine in praestando Iuramento. Sed fortis est praesumptio, quae militat pro Actuario, ob fidem iurisiurandi praestitam, et lucrum cessans, damnum vero emergens; Aduocatis potius et Mandatariis vtriusque litigantis ante omnia iniungenda est iurata assertio, quem modum illi quandoque aegre ferunt, cum speciem purgatorii esse credant, quod non nisi homini suspectae fidei, et concurrentibus indiciis iniungi possit. Verum enim vero aduersus reum eiusque Patronum caussae semper nascitur quaedam suspicio, et iusiurandum, quod exigitur, editionis est, non purgatorii, ceu

formula docet. Cum vero acta absque aliqua culpa Actuarii vix occulta iacere possint, ab arbitrio Iudicis superioris pendet, quo tempore, ordine et casu ab illo assertum, in perquirendis Actis omnem diligentiam ac curam se adhibuisse, nec vbi illa delitescant, cognitum habere, iuramento corroborandum sit.

§. XIII.

Haud infrequens in Curiis Electoralibus Prouinciarum casus obuenit, vt eorum, quae minus recte, vel contra iura, vel leges iudicia-
rias publicas in Iudicio gesta fuerunt, cassatio actuariis iudicii, quibus administratio Iurisdictio plena concredita est, iniungatur per decretum aut inhibitionem poenalem. Sed hoc quidem in casu non opus est, vt ipsum volumen quod nulliter gesta continet, penitus deleatur et ipsa charta intercidatur, in quo actuarium olim peccasse acta Curiae loquuntur, sufficit iudicialis declaratio ad acta et notificatio eius parti laedenti facta. Acta enim publica licet vitio nullitatis laborent, non ab authoritate priuata iudicis pendent, sed ex publica sustinentur, illius quoque, ad cuius instantiam Cassatio facta maxime interest, vt omni tempore, in quo actuarium peccauerit, probari possit. In cassatione ergo imperata non tam ACTA et folia chartarum quam